

## CH.

Anno 1371. In Vissegrad.

Ludovicus Rex Magistro Saracheno, Camerarum Syrmien-  
sis et Quinqueecclesiensis Comiti, insulas Absarum et  
Cherso, in Regno Dalmatiae sitas, et quidem cum iis-  
dem praerogativis, quibus alii nobiles Regnorum Dalma-  
tiae et Croatiae suas possessiones conservant, donat.

Nos Ludovicus, Dei gratia Rex Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. Signi-  
ficamus tenore presentium quibus expedit vniuersis, memorie commendantes:  
Quod nos, cui interest ex innata Regia libertate vniuscuiusque obsequiorum  
merita propensius in statera librare equitatis, et illis, quos Regie remunerationi  
dignos efficiunt, grata impendere premia meritorum; intuitis fidelitatibus, et fide-  
lium Seruitorum meritis, laude dignis, fidelis nostri dilecti Magistri Saracheni,  
Comitis Camerarum nostrarum Syrimiensis et Quinqueecclesiensis, quibus idem  
tam sollicite, tamque curiose in cunctis nostri et Regni nostri agendis sibi con-  
fisis et commissis studuit nobis complacere, vt in eius obsequiis noster animus  
mitissime conquieuit; volentes sibi pro tantis gratuitis seruitutis Regie remunera-  
tionis antidoto occurrere Regio cum favore, quandam insulam nostram Absari  
et Kersi appellatam, in Regno nostro Dalmatie intra ambitum maris habitam, cum  
omnibus iuribus, vtilitatibus et pertinentiis ac prouentibus vniuersis, quouis no-  
minis vocabulo vocitatis, et ab antiquo ad ipsam Insulam Absari et Kersi spe-  
ctantibus, de manibus nostris regiis ex certa nostra scientia, eidem Magistro  
Saracheno, si heredibus caruerit, vsque duntaxat terminum vite sue, si vero ex  
altissima prouidentia, cuius nutu singula diriguntur, ipsum Magistrum Sarachenum  
heredes seu prolem habere contingat de femore suo descendentes, tunc iure per-  
petuo et irrenocabiliter, noue donationis nostre titulo in filios filiorum suorum  
et heredum per heredes dedimus, donauimus et contulimus, immo damus et con-  
ferimus sub hiisdem prerogativis, quibus alii nobiles ipsorum Regnorum nostro-  
rum Dalmatie et Croatiae, eorum possessiones proprias conseruant, possedendam,  
tenendam et habendam, harum sub secreti nostri sigilli testimonio litterarum, quas  
in formam nostri priuilegii redigi faciemus, dum nobis fuerint reportate. Datum  
in Wysegrad feria quarta proxima ante festum beate Margarethe Virginis et  
Martyris. Anno Domini M.CCC.LXX. primo.

(L. S. inferius impressi.)

Ex Archivio Imp. Vienn. — Fejér, Codex Dipl. Regni Hungariae. T. IX. p. 337.